Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36883
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

insultent, et si de commissis contra nos eorum excessibus penis debitis non urgeantur, ad duriora quod absit pec-
care postmodum non timebunt. Neque enim maiores nostri assueti fuerunt, aliquid dedecoris sub silencio
pertransire, quod per oblocucionem diffamacionis eis obprobriose posset ascribi. Nec nos ergo similiter non
convenientibus oculis dissimulare debemus quod obprobriose nobis et nostris possit successoribus exprobrari. Maxi-
me cum tot simus in uno voluntatis desiderio convenientes, et tante potencie latitudine constituti. Quis
enim est hodie qui nostras metiretur potencias, et de facto quis in offensione intrepidus auderet insurgere
excepta gente ista troianorum. Qui ceco et stolido ducti consilio se in offensionem nostram in dispendiis et fi-
nibus propositis miserunt. Nonne hoc novit mundi pars maxima, qualiter quidam ex nostris in laomedonta rege
patre ipsius regis priami, armis bellicis irruerunt, et tradiderunt eum neci, et infinitos ex suis, urbe-
que sua troie, ab ipso laomedonta rege possessam funditus evertentes. Nonne adhuc apud nos sunt plures
ex illis in grecia, qui in principiis nostris a vestris adducti iure predonis deflent perpetuas servitutes. Sane non
est impossibile, neque dissimile, nulle potenciores facte, quod quatuor minus potentes fecerunt, aut quinque.
Scio quidem eos scire nos esse adversus eos accinctos. Et ideo multa se vendicasse suffragia, et multa
subsidia quesivisse. Ut adversus nos potenter insistant, et se contra nos viriliter tueantur. Sed ut in-
detur acceptum, si nobis cedat ad gratum, ut antequam de hoc portu salubriter dissolutis anchoris disce-
damus. Apud delfon insulam, ad deum apollinem specialiter devotos nostros nuncios dirigamus,
recepturos a deo ipso et ab aliis nostris certa responsa. Quid nos facere deceat et liceat, de hiis que
sumus eis faventibus aggressuri. Et sic rex agamenon sermoni suo finem fecit. Hiis dictis universi magis
potentes reges duces et principes agamenonis regis audito colloquio, laudant, et sic esse faciendum ut
ipse decrevit, unanimiter omnes probant. Quare super eius execucione negocii, omnes in una vocis conso-
nancia, achillem eligunt et patroclum. Ut ipsi pro tam communi bono quod se ipsos et alios contingit, et principaliter eos
tangit, apud delfon insulam se conferant, responsum a deo apolline humiliter petituros. Nec mora,
predicti achilles et patroclus, pro predictis feliciter exequendis, securo remige portum intrant, et diis
faventibus cursu celerrimo, felici navigacione potiti, in insulam delfos feliciter pervenerunt. Erat
autem ipsa insula mari undique circumfusa, que pro certo creditur, quod insula delfos fuerit, que scrip-
torum mencio fuit adiuncta, que insula in medio insularum cicladum sita est in mari scilicet ellespontia-
co constituta. Quare de predictis insulis in medio cicladum principalis est una

De deo apolline qui collebatur in insula delfos.

In hac enim insula, ut narrat istoria, latona enixa est appollinem et dianam. Et ideo in ea
edificato templo mirabilem mirorum congeriem cellebratur appollo, et dicta est delfos
pro eo quod sedato diluvio, ante omnes terras radiis solis primum illuminata est, et luna visa. Dicitur
enim delfos quasi manifestacio. Nam delon, grece manifestum dicitur, et quia ab insula illa primo
fuerunt inspecti sol et luna. Ideo gentiles dicere voluerunt hanc insulam fuisse patriam solis
et lune, et ideo eos in ea fuisse natos, cum appollo dicatur sol, et luna dicatur diana. Ipsa
enim dicta est et ortigia, eo quod in ea sunt nate coturnices quas greci ortigias vocant. Hunc gentiles
appollinem deum esse dixerunt. Hunc dixerunt eum solem ipsum. Quidam titan, quasi unum ex titanis
qui adversus iovem pugnaverunt, eundem febum dixerunt, quasi effebum id est adolescentem, eo quod sol cotti-
die oritur. Item eundem appollinem phithium vocaverunt, a phytone serpente ab eo interfecto, unde
phytonisse dicte sunt quedam mulieres scientes predicere de futuris, ut ydem appollo petentibus
predicebat. De hac phythonissa scriptum est in veteri testamento in primo libro regum, que fecit excitare
dudum mortuum samuelem ad peticionem saulis. In hoc igitur templo erat maxima ymago tota ex
auro composita, in honore dei appollinis. Que licet fuisset ex auro composita, et in veritate foret
surda et muta, tamen secundum mores gentilium colencium ydolatria, principaliter apud ipsos in-
valuit. Cum omisissent cultum veri dei, qui in sapiencia id est in filio dei domino nostro ihesu christo in nichilo
cuncta creavit. Adheserunt diis surdis et mutis, qui pro certo homines mortales fuerunt, credentes
et putantes eos esse deos, quorum potencia nulla erat. Sed responsa que dabantur ab eis, non ipsi
sed qui ingrediebantur in eorum imagines spiritus inmundi pro certo erat. Ut per eorum responsa homines
imperitus errorum cecitatibus conservaret. Qualiter autem ydolatria creverit et inicium habuerit
et qualiter per spiritus inmundos responsa dabantur. Cum sit locus prodimus hic compendiose